



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 1. Diuites à Deo inanes dimitti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. I.

Diuites à Deo inanes dimitti.

Diuites, vt lucidis coloribus gratiam addant, eosque faciant eminentius clarescere, illos colores iuxta ponunt, qui habent obscuritatem. Ita Deus inimicos suos, in ipsa copia, subinde penuria affligit, vt cura illius & amor tantò fiat illustrior, quando paternè prospicit amicis. Auaris, & voluptuarijs, ventremque magis, quam Numen curantibus ita minatur. *Decem iugera vinearum facient lagunculam vnam, & triginta modij sementis facient modios tres: Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vesperam, vt vino estuētis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiujs vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit.* His etiam in Psalmo prædicitur. *Et famem patientur, vt canes.* Nam, etsi sint diuites, etsi abundant, tamen potest eos diuina vindicta ad incitas redigere; & è Crocis Iros facere. Quin multi, præ auaritia, quò plus habent, minùs audent comedere

Isa. 5. 10.

Psal. 58. 7.

aut

aut bibere, malunt enim stomachum, quàm loculum inanem circumferre. Quin & illi ipsi, qui in vino & epulis commorantur, nunquam gulam ingluviemq; suam explēt. Quò vina plus bibuntur, plus sitiūtur. Hinc helluones, hinc gurgites vocātur; hinc, tanquam canes importuni, semper mensas allatrant alienas, vmbrae non conuiuæ; nec socij, sed parasiti; ollares amici, non ad aram, sed ad mensam venire parati.

§. II.

Esurientes impleri bonis à Deo.

Aliter agit cum seruis suis Deus; qui non affliget fame animam iusti. Cui, apud Iob, dicitur: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. A flagello lingua absconderis, & nō timebis calamitatem, cum venerit. In vastitate & fame ridebis, & bestias terra non formidabis.* Hoc est, quod dicitur: *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ei. Ut eruat à morte animas eorū: & alat eos in fame.* Ac rursus: *Novit Dominus dies immaculorum: & hereditas eorum in aeternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt. Non enim in Domino, sed in Mundo spem suam ponunt; qui autem de*

Prou. 10.

Iob. 5. 20.

Pl. 32. 18.

Pl. 36. 18.